

G.K.
406,
7.

29

*De digna, excellentibus artificiose in a
pictoria, sculptoria etc. tributa laud*

II e
12

2. B. V. X 2316466

JVSSV ATQVE AVSPICII
EPHORI SVMME REVERENDI,
VT ET RELIQVORVMPATRONORVM,
IV NONAR, MART. A. ch lxxxxi,

SOLENNE RICHTERIANVM
IOHANNES CHRISTIANVS PESCHELIVS, FREIB.
PAVPER, SED FRVGI IUVENIS,
DE RE VESTIARIA,
EX CAP. IV, LL. SCHOLAST. APHOR. XI
ACTV RVS,

QVA FAS EST, PIETATE CVRABIT,
QVOCIRCA OMNES,
QVOTQVOT ET NOMEN ILLVD AESTIMANT,
ET LITERAS AMANT BONAS,
PROCERES, MAECENATES ET AMICOS
SVMMOPERE SIBI COLENDOS,
MODESTE AC REVERENTER
AD ACTVM HVNC CONVOCAT

M. SAMVEL MOLLERVS, G. F. R.
FREIBERGÆ, LITERIS KVHFVSIANIS.

BIBLIOTHECA
MUNICIPALIS
MUNICIPALIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



Vod Poetæ, ac ceteri doctrina præstantes viri, experti, et consecuti sunt, idem et illis affectare artificibus placuit, qui, istorum æmuli ac imitatores, ingenium, quod quasi in ipsorum manibus situm est, non infeliciter exercuerunt suum, ac, si non plus, tamen haud minus interdum famæ ac dignitatis, operibus suis sibi Dædaleis, pepererunt. Ab his autem eos remotos esse volumus omnes, qui ludicras artes faciunt, ac tales, per quas ad libidinem hominum accenduntur animi: quibus, tametsi nonnunquam vel ipsorum Principum auspiciis decretis sibi coronis ac statuis lætarentur, tamen nec tribus, nec honor civium tributus est. Hos autem velut, quo minus ad spem istam niti possent, sua vel arcebat ignobilitas, vel, quod dotibus sibi concessis male abutebantur, pravitas: ita e contrario istos, qui boni probique erant, eo sua propius virtus admovit, quo magis ipsa, in rebus istis, quas agebant, cognita atque perspecta est. Ipsi enim excellenti ingenii bonitate præditi, vel sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, nonnunquam ea invenerunt, aut excoluerunt, quæ abstrusa erant ac recondita, quæ quisque miraretur, effecerunt, corporibus inanimis animam ac sensum largiti sunt, ac aliquem prope humanitatis rationisque imaginem induerunt, imo naturam ipsam, quæ communis omnium, eaque perfectissima magistra est, superaverunt. Quæ enim in singulis hæc, sed parce ac disperse, probaverat, eadem in unum opus suum, ex omnibus illud, quod elegantissimum, convenientissimumque videretur, libantes, hi contulerunt artifices, ut, quantum illa, si vellet, efficere valeret, testatum facerent. Neque vero in solis lineis ea solertia, aut frontis orisque honore subsistit, sed ad ipsum quoque descendit animum, eumque ita in vultu ipso reponit describitque accurate, ut istius, velut notis suis, elegantia expressa, primo statim intuitu appareat, & quas ille cogitavit res magnas, ac gessit, tanquam in commentarios relatæ, cognoscantur. Præstant id ipsum non pictores modo, & quorum in materia sequaci, ac cerea, studium versatur, sed & alii, qui saxa, & truncos cogunt, metallorumque victa duritie *excudunt spirantia molliter æra, & vivos ducunt de marmore vultus.* Nec diffidentur hi omnes, quod Poetæ vitam istam ac spiritum sui tradiderint corporibus: ipseque, quem Minerva formasse videbatur propitia, Phidias simulacrum Iovis Olympici cum ex ebore arte mira condidisset, Pandro, egregio pictori, rem admi-

ran-

ranti, quærentique, unde tam præclari operis exemplar summisset, ex tribus Homeri versibus omnia se accepisse, haud dissimulanter respondit, quorum Libr. I. Iliad. v. 528. hæc est sententia:

Ἡ, καὶ κυανέῃσι ἐπ' ὀφρύσι νεύσει Κροῖων,
Ἀμβρόσια δ' ἄρα χεῖται ἐπεπρώσαντο ἄνακτος,
Κραῖος ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Inde superciliis jam Jupiter annuit atris,
Concussitque comam pulchro de vertice rector
Aethereus, nutu & summum tremefecit olympum.

Si vero Pindari Musæ geminam ipsius ab ædibus stragem ruina[m]que avertit: Protogenes, pictorum ætatis suæ princeps, Rhodum ipsam, quæ velut urbs militiæ navalis, ac universæ rei nauticæ, nec non philosophiæ, ac eloquentiæ, omnem laudem complexa est, ita & tales semper viros genuit, qui, quasi in theatro spectati, omnem artis suæ famam strenue tuerentur, obsidione gravi liberatam vindicavit. Tentabat eandem, cui cognomentum πολιορκήης fuit, Demetrius, Macedo, ac ita quidem, ut eam, quo caperet citius, ignibus tormentisque verberaret. Idcirco et domus quasdam publice factas, quæ extra urbis muros, cum parvo prælidio erant, aggredi ac vastare parabat. Erat in illis memoratissima illa imago Ialysi Protogenis manu facta, cuius operis pulchritudinem præstantiamque Rhodiis idem invidebat. Ipsi vero per legatos ad Demetrium missos, in hunc fere sensum locuti sunt: *Quæ malum, inquires, ratio est, ut tu imaginem istam incendio adiuvæ velis disperdere? Nam si omnes superaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra et incolumi per victoriam poteris: sin vero nos vincere obsidendo nequiveris: petimus, consideres, ne turpe tibi sit, quia non poteris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse.* Hoc ubi ex legatis audivit, oppugnatione desita, et imagini, et civitati pepercit. Vid. Gell. N. A. L. XV, c. 31. Aliter rem commemorat Plinius, qui vivo id factum Protogene, huiusque amore ita captum fuisse Demetrium, ut, votis victoriæ suæ relictis, in suburbano hortulo, inter arma et murorum ictus spectaret artificem, ipsamque postea imaginem Ialysi, tunc quidem sub gladio pictam, Romæ, in templo pacis dedicatam esse, scriptis suis asserit. Hist. Nat. L. XXXV, cap. 10. Ita viri huius, qui & patriæ, & sibi adeo bene consuluerat, in loco sacrationi fama conservata & propagata est: durat nec minuseorum nomen, qui, cum rudior adhuc ars esset, ea, quæ potuerunt, ausi sunt. Notæ et.

Q. X. The 12

etiamnum sunt, qui primi picturam, Ardicus Corinthius, & Telephanes Sicyonius, sine ullo tamen colore exercuerunt: notus & Cleophantus Corinthius, hunc testa, ut ferunt, trita, qui invenit. Sed ne tunc quidem, etsi color accessisset, ars perfecta fuit: olympiade autem nonagesima Apollodorus Atheniensis prodiit, qui species instituit, primusque gloriam penicillo jure contulit. Symmetria vero deerat picturae, quam Parafius, Ephesinatus, dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, & confessione omnium, in lineis extremis, palmam adeptus. Hoc adendum erat, ut ex vultu mores, vel virtutibus, vel vitiis noti, exprimerentur, quod Demon, Atticus, praestitit, qui varium, iracundum, injustum, inconstantem, juxta etiam exorabilem, clementem, misericordem, item excelsum, gloriosum, ferocemque tabulis ostendere suis poterat. Idcirco hanc ipse laudem retulit, quod in omnibus ejus operibus plus semper intellectum, quam pictum esset, quodque in summa arte supra artem fuisset ingenium. Omnes vero, et cognitos ante, & post editos Apelles superavit, eo usque provectus, ut plura solus prope, quam ceteri omnes, contulerit, & dignus reliquis omnibus visus sit, cui primas ipsi concederent. Novimus ejusdem cum ceteris contentiones amicissimas; mallet, artis hujus periti, volumina ad hanc aetatem venisse, quae, doctrinam eam continentia, edidit: sed hoc in primis ab antiquo Grammati. O Apione, quasi incredibile dicto, traditum est, tales ipsius fuisse imagines, ut quidam, qui ex facie hominum addivinare consuevit se metoscopus, ex his aut futurae, aut praeteritae etiam mortis annos praedixerit. Non mirum igitur, si ab hoc solo Alexander Rex ille Magnus pingi, a Lysippo ex aere duci, atque a Pyrgotele in gemma sculpti voluerit; quoniam non gratiae causa illud edicto praecipitum erat, sed quod eorum artem, cum ipsis, tum etiam sibi, gloriae fore putabat. Plin. libr. cit. et Cic. Libr. V. Epist. fam. 12. Honos itaque artes alit, ejusque ita melioribus cura infixata est, ut, si cetera desint praemia, tamen in eo se omnia accepisse existiment. Hinc Phidiam ferunt nobilem istum statuarium, cum Minervam, quae in summa Athenarum arce consistebat, formasset, in medio ipsius clypeo suum hoc modo affixisse vultum, ut si quis illum dissolveret, idem collocationis universam, non singulorum operum, venustatem sustulisset. Secuti sunt illum Saurus & Batrachus, nobiles itidem statuarii, qui, famam consecuturi, Romam venerant, Augustoque operam locaverant suam, templum, quod Octavia voverat, condituro. Omnia, quae ars poterat, praestabant ipsi; multa de suo uterque, quod praedivites erant, modo ut splendidius illud fieret monumentum, erogabant, hoc sibi saltem pacti, ut, quod Q. Fabio Pictori, olim parietes aedis Salutis pingenti, concessum erat, in scriptis nominibus ipsorum memoria, cum templo, constaret. Sed cum, quae invidia hominum esse solet, haec negaretur inscriptio, ipseque nec precibus, nec argumentis, ut hoc concederet, vinceretur Augustus: alia ipsi ratione usi, viam, quae, quod volebant, consequerentur, invenerunt. Nomen enim cum pati nollent Romani, nominis tamen insigne ac hieroglyphicum ipsos ferre oportebat, quippe in columnarum epistyllis Saurus laertum, ranam Batrachus insculperunt, utroque ita aliquid, quod perenne esset, merito, sui que immortalitati memoriam dedicante.

nc

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

G.K.
406,
7.

De digna, excellentibus artificiose in a
pictoria, sculptoria etc. tributa lau

II e
12

Q. B. V.

X 2316466

JVSSV ATQVE AVSPICIIS
EPHORI SVMME REVERENDI,
VT ET RELIQVORVMPATRONORVM,
IV NONAR, MART. A. ch lxxxxi,

SOLENNE RICHTERIANVM
IOHANNES CHRISTIANVS PESCHELIVS, FREIB.

PAVPER, SED FRVGIIVVENIS,

DE RE VESTIARIA,

EX CAP. IV, LL. SCHOLAST. APHOR. XI

ACTVRS,

QVA FAS EST, PIETATE CVRABIT,

QVOCIRCA OMNES,

QVOTQVOT ET NOMEN ILLVD AESTIMANT,

ET LITERAS AMANT BONAS,

PROCERES, MAECENATES ET AMICOS

SVMMOPERE SIBI COLENDOS,

MODESTE AC REVERENTER

AD ACTVMHVNC CONVOCAT

M. SAMVEL MOLLERS, G. F. R.

FREIBERGÆ, LITERIS KVHFVSIANIS.

BIBLIOTHECA
MUNICHAIANA

